



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 3. Qualitas Siciliae recentis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

bit lubentiùs. Apud eundem quidam sic dictam volunt ob montes excelsos, quibus toti Siciliæ videretur *dominari*. Sed eos irrideri qui confugiunt ad Dæmonas quorum sedes Æthæus Crater, Addit idem Fazellus hanc vocem *Demonia*, fortè Sarracenicam esse, cuius vim se fatetur ignorare.

N V M. 2. *Quantitas Siciliæ secundum recentiores.*

RECTE obseruat Cluuerius, in miliaribus recentibus Siciliæ nunc magnam diuersitatem esse, quam ipse dimensus totam hanc Insulam accuratè expertus est: & à Messana per Panormum & Lilybæum ad Agrigentum paulò minora esse ius, quæ ab Agrigento ad Pachynum & Messanam ducuntur; hæc autem Neapolitanis æqualia, illa Latinis & Tuscis; qua de re moneri debuisti.

*Mensura Noua Siciliæ.*

LATVS BOREALE, { Aretio, *Ducenta sexaginta duo M. P.*  
à Capo di Farò, ad } Fazello, *Ducenta octoginta & vnum M. P.*  
Capo di Coco. } Cluuerio, *Ducenta quinquagintaquinque M. P.*

LATVS AVSTRALE, { Aretio, *Ducenta quatuor M. P.*  
à Capo Coco, ad Capo } Fazello, *Centum octoginta quatuor M. P.*  
Passaro. } Cluuerio, *Centum nonaginta M. P.*

LATVS ORIENTALE, { Aretio, *Centum quinquaginta M. P.*  
à Capo Passaro, ad } Fazello, *Centum sexaginta M. P.*  
Capo di Faro. } Cluuerio, *Centum quinquaginta quatuor M. P.*

AMBITVS } Aretio, *Quingenta sexdecim M. P.*  
TOTIVS } Fazello, *Sexcenta viginti quatuor M. P.*  
INSVLÆ. } Cluuerio, *Quingenta nonaginta nouem M. P. vel ut ait ipse sexcenta.*

N V M. 3. *Qualitas Siciliæ recentis.*

QVAM sit frumenti ferax in præsentia id maximè docet, quod in quibusdam locis grana singula proiecta in terram centum reddant. Fertilissima sunt valles *Neto*, & *Mazara*, amcenior & arboribus meliùs confita *Demonia*. Quæ sint eius pascua, & quàm læta,



videbimus in Admirandis. Vbiq̄ue bombyces facillè aluntur, quare hinc serici copia ingens effertur.

Sal non tantùm ad littus hîc congelatur, sed ad Ennam fossile excinditur. Hinc quoque vinum copiosum & multiplex educitur; olei amphoræ propè infinitæ; mel exquisitissimum, quod olim Hyblæum, & magni nominis. Balneis quoque calidis abundat in plerisque locis. Vniuersa ora piscibus scatet; sed inter cæteros magni sunt anguillæ quæ capiuntur ad Pharam. In oram Borealem se thynni immittunt, & piscationem hîc efficiunt luculentam. Capitur hîc quoque piscis Xiphias dictus, quem nos Imperatorem appellamus, saporis exquisitissimi. Metallica habet auri, argenti, ferri, aluminis, sulphuris, atramenti futorij, & nitri, quod hîc acerrimum & optimum.

N V M. 4. *Mores recentes Siculorum.*

DISERTI sunt omnes Siculi, faceti, callidi, sed iniuriæ supra modum impatientes, & irritati non facillè placari possunt, atque sibi illatum dedecus serius aut ocyùs vlciscuntur.

Libertatis peramantes sunt, neque *privilegia* sua, vt vocant facillè tolli, aut imminui sinunt.

Messanæ multi ludi Equestres celebrantur, Equites autem, vulgò Stellæ dicti, Epiphaniorum diem magna celebritate, & pompâ transigunt.

Olim sponsus & sponsa non copulabantur matrimonio, nisi alter illorum morti proximus esset, verùm id Ecclesiæ legibus seuerissimis hodie vetitum est.

Olim quoque mortuis Regibus omnes atrati procedebant in publicum diebustribus, mulieres passis crinibus, & sacco amictæ clamoribus inconditis lymphaticæ per vrbes discurrebant; sed hæc quoque consuetudo evanuit.

N V M. 5. *Merces Sicilia.*

FRUMENTA hinc plurima efferuntur. *Serici* ex bombycibus, ab vnâ vrbe Messanâ quotannis educuntur, supra septingentas sarcinæ, 700. *Balles de soye*. Certè nundinæ Messanenses dicuntur afferre Siculis ex serico, & arte factis solidum auri millionem. Ac-